

mandantis agit, eum *repraesentat*, porro iura et obligationes eidem adquirit. III. Tenetur procurator negotiorum sibi commissum omni diligentia peragere, damnum vero sua culpa illatum reparare.

DXII. Ita est IV. officium perfectum mandantis negotiorum intra fines mandati ratihabere, procuratorem indemnem seruare, si quid de suo erogauit in negotio administrando; non vero si casu fortuito aliquam passus sit iacturam, de qua non fuit cogitatum; ad hanc enim reparandam non tenetur mandans, nisi pro re nata ex obligatione imperfecta. *v. L. 26. §. 6. D. mand.*

DXIII. V. Qui negotiorum sibi non commisum vltro et gratis suscipit, mandatarius non est, sed *negotiorum gestor*, *procurator voluntarius*; obligatur tamen quasi ex mandato, cique imputantur omnia, quae ex administratione rerum alienarum consequuntur. Igitur eius est rem gerere summa diligentia, rationes reddere, et damnum dolo, vel culpa datum emendare.

CAPVT XVIII.

De contractibus permittatoriis generatim et de rerum pretio.

DXIV. Quis res vel operas in alterum gratis conferre non vult, id semper intendit, vt ab altero quoque res vel operas recipiat, sive ut is etiam aliquid det, vel faciat. Nullus ergo est contractus onerosus, qui non ad quatuor illos artculos revocari possit: *L. Do, vt des. II. Do, vt facias. III. Facio, vt des. IV. Facio, vt facias.* In his igitur commercium, seu *mutua rerum communicatio*, quae per contractus explicatur, situm est.

DXV. Quoniam in contractibus onerosis simpli-
citer talibus omnis donatio exulat, neuter contrahenti-
tum vult aliquid gratis concedere, sed vterque illud
sibi

sibi propositum habet, ut tantum ab altero recipiat, quantum in ipsum transfert, hinc ut vius virium alterius, usui virium suarum aequipolleat, adeoque ut sint aequalia ratione utilitatis ea, quae inuicem praestantur.

D XVI. Quare necesse fuit, res corporales, incorporales et operas, vtpote obiecta reciproce communicanda inter se comparare, id est, earum identitatem, et diversitatem sibi representare, tum *Quantum utilitatis* eisdem tribuere, et ita mutuam earum aequalitatem finire.

D XVII. Nihil in dominio reperitur, aut alio iure nostro dominii analogo, in quo non aliquem perfectio-
nis atque utilitatis gradum cogitemus. Quantitas per-
fectionis in uniuersum, et speciatim quantitas utilita-
tis, quam in re quadam nobis representamus, eius
valor dicitur, valoris determinatio *affimationem*, de-
finitus autem valor rerum, quae sunt in commercio,
seu contractus onerosi capaces, earum *pretium* consti-
tuit; quidquid potro in dominio est, suum habet pre-
tium; ast id, quod proprium esse nequit, pretii ob-
iectum non est. *

D XVIII. Actus permutatorii ex mutua necessitate et commoditate orti sunt; hinc obiecta, quae permuntantur, *Homogenea*, et eisdem generis plerumque non sunt, sed *heterogenea* atque diversi, quorum porro utilitas vario modo se se exserit. Itaque in valore et pre-
tio continetur relatio quanti duorum obiectorum inter se, seu ratio eorum mathematica; quae ratio in ob-
iectis heterogenesis naturalis, seu physica non est, sed
moralis, et hominum arbitrio tributa, arbitraria, ficta.
Et idco pretium definitur quoque: *quantitas moralis*
rebus et operis hominum arbitrio tributa, ut earum
ad se inuicem, *ratio definiri possit*.

D XIX. Quemadmodum unitas, quae adhibetur ad exquirendam magnitudinem alterius obiecti, est eius

H 4

men-

* V. Plaut. Afin. Sc. III. v. 46.

mensura, ita res quae eandem mensuram moralem, seu aequalitatem intuitu utilitatem habent, *equivalentes* vocantur. Sic pretium vnius equi, ut hoc utar, intelligi nequit, nisi adsumta alia re, veluti viginti aut triginta ouibus, cum quibus comparetur; quare certus ouium numerus aequivalens erit equi atque mensura. Hinc hac duae res ratione preiis sibi inuicem substitui, atque salua aequalitate inter se permutari possunt.

DXX. Quia dominus ius habet disponendi de suo pro libitu; ei licet rebus et iuribus et operis suis maius vel minus pretium statnere, * illudque omni momento variare. Est enim talis *relatio* accessionum dominii, vi cuius nostra cum alienis commutare, vel non commutare est permisum vid. Gen. XLVII. 14.

DXXI. Attamen rei *utilitas* sine vera, sive imaginaria, sive communis, sive particularis coniuncta cum raritate, quod scilicet ea res magis minusue via exhaustiri possit, pretia rerum gignit, auget, minuitque. ** Sola utilitas sine omni raritate pretium non efficit; hinc aqua nullius est pretii, ubi abundat. Nec sola raritas, remota omni specie utilitatis, nos ad rei dominium acquirendum impellit, ergo nec ad ponendum pretium: ideo muscae albae nullo veniunt pretio.

DXXII. Quoniam nihil in domino est, vel in iure nostro dominii analogus, quod non aliquam habeat utilitatem, et raritatem, consequens est, ut singulariae res dominii vel quasi capaces, cum utilitate et raritate omnium aliarum rerum aliquomodo comparari possint, pretiumque suum habere. Atque hic valor rerum singularium, quatenus hae per quantitatem cuiuslibet alterius obiecti reciproce aestimari, et pares fieri possunt, est vulgare pretium.

DXXIII. Non semper tamen id vni supererat, quo alter indigebat, verum saepe quod alter dare volebat, alter

* Seneca VI. Benef. 15.

** Tacit. An. VI. 17.

alter aspernabatur; imo difficile plerumque erat quantitatibus physicis vel operis mutuam utriusque contrahentis utilitatem aequare, neque eam tamen excedere; et aliquando res ipsae tantae erant molis, ut transferri commode non possent. Itaque oportuit ex cogitare materiam, cuius definita quantitas physica esset mensura pretii cuiuslibet obiecti. Haec autem materia, rerum omnium permutandarum vicaria, est *pecunia*; quae si in certas partes diuisa sit atque signata, *moneta* nominatur.*

DXXIV. Quandoquidem pecunia communis est rerum omnium permutationis capacium mensura, et aequivalens uniuersale, potest illa omnibus obiectis permutandis substitui, et venire in locum cuiuslibet vulgaris pretii. Et ideo hoc pretium rerum, operarum et iurium per quantitatem pecuniae determinatum, pretii eminentis nomen obtinuit.

DXXV. Ex fine autem pecuniae apparet, cur 1) materia requiratur, quae per se utilitatem habeat, et vulgare pretium, 2) quae nec nimis rara sit, nec nimis obvia, 3) quae sit substantiae compactae, ut duret, 4) quae diuidi etiam in partes minimas, facile custodi, et transferri possit. 5) Cur denique metallum fulgentia sunt electra, in quibus solis omnia illa requisita perfecte reperiuntur, et cur pecunia proba sit, cuius valor impositus materiae et ponderi respondet, et hinc hodie publica forma, et iconio feriatur.

DXXVI. Pecunia inuenta est, ut aequivalens sit aliarum rerum aestimationis capacium, atque illis in permutatione substituatur; per actum permutatorium transit ex domino unius in dominium alterius; praecipiens ergo et ordinarius pecuniae usus consistit in eius alienatione. Ceterum et patrimonii magnitudo, adeoque diuitiae, commoditas, paupertas, egestas, et mendicitas eiusuis pecunia aestimantur.

H 5

DXXVII.

* Ita pecuniae originem philosophicam exponit JCrus Paulus L. I. D. de contr. emt. vend. historicam tradit Salmas de usur. C. XV.

DXXVII. *Aequum* est pretium, quod in actibus permutoriis communis consensu pacientium introductum, secus est *iniquum*, veluti si per errorem, aut dolum statuat. Illud vero pretium naturaliter esset *injustum*, si laborare volenti deficerent res necessariae; quare pretium rerum necessarium ita determinandum est, ut eadem vilis operae pretio comparari possint. Et ob eandem causam, si solum spectemus usum, res necessariae minus valere debent, quam utiles, et haec minus, quam voluptuariae.

C A P V T X I X .

De variis permutationum formis.

DXXVIII. Innumeri sunt modi, quibus res, operas vel iura nostra cum rebus, operis, iuribusque alterius permutamus; quidam tamen, utpote frequentiores, speciali nomine designantur.

DXXIX. Commutari autem possunt vel 1) pretium vulgare rei unius cum pretio vulgari alterius, hoc est, dari res pro re, et fit *Permutatio* in specie, vel 2) pretium eminens, seu certa pecuniae quantitas cum re, estque *Emtio Venditio*, vel 3) pecunia determinata cum usu rei non fungibilis, aut cum opera, et est *Locatio Conduetio*, vel 4) res quaevis aut opera cum usu rei fungibilis, et fit *Foenus*, seu *Contractus foenebris*, vel 5) pecunia cum pecunia, et *Cambium* dicitur.

DXXX. Porro permutteratur 6) dominium utile rei alicuius cum obligatione praestandi et aut canonem annum et est *Emphyteusis* 7) aut fidelitatem, hoc est, curam et diligentiam, ne aliquid in alterius praetudicium fiat, et nascitur *Fecundum*; denique si 7) res vel opera in commune lucrum conferuntur, *Societas* fit; reliqui sunt innominati.

DXXXI.

* *V. Cier. Ver. IV. 7. teneta de Benef. V. c. 15.*